

Quem trado TIBI, PATER OPTIME, libellum
inauguralem, eum, rogo, excipias serena ea
fronte, qua soles, et me ipsum, et quaecunque a me
proficiscuntur, nunquam dedignari. Sit TIBI hoc
qualecunque munusculum testimonium et monu-
mentum publicum meae in TE pietatis, quae qui-
dem eodem modo superat eam, quam natura omni-
bus aduersus parentes suos ingenuit liberis, quo
TVVM in me amorem a prima inde pueritia tan-
tum ego praedicare possum, quantus is paucissimis
certe contingit filiis, paucis votis concipere licet.

Sane vero, dum mente mea reputo, et matre
dulcissima, Coniuge TVA suauissima dudum e vita
humana egressa, et nuper admodum, paucorum an-
norum spatio, creptis TIBI decessis filiis, et unica
filia, me unum superstitem esse, qui orbitati TVAE
solatium adferre possit, dici non potest, quanto ar-
dore incensus id maxime studeam, ut per omnem
vitam meam TV quidem curae, quam in me edu-
cando consumpsisti, summae maximaeque fructum
possis percipere uberrimum. Deum ter optimum
maximum enim quotidie ardentissimis imploro
precibus